

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput LXIX. Continens Historiam De Sanato Daemoniaco Muto. Matth. 9. v.
32.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

CAPUT LXIX.

CONTINENS HISTORIAM DE SANATO DÆMONIACO MUTO, MATTH. 9. v. 32.

RATIO ORDINIS.

Sed & hoc miraculum solus Matthæus describit, & cum præcedente narratione exquisita notatione ordinis ita conjungit, ut appareat mox istud accidisse,

postquam Dominus modo istis duobus cæcis visum restituerat. Ait enim, *istis domo egredientibus, ecce adducunt, &c.* sicuti jam audiemus.

HISTORIA SANATI DÆMONIACI MUTI.

MATTH. 9. v. 32.

- | | |
|---|---|
| 32. Αὐτῶν ἡ ἐξερχομένων, ἰδὲ προσήνεκον αὐτῷ ἀνθρώπον κωφὸν δαίμονι ὄντιμον. | 32. Illis autem egredientibus, ecce adduxerunt illi hominem mutum demoniacum. |
| 33. Καὶ ἐκβάλλεν αὐτὸν δαίμονα, ἐλάλησεν ὁ κωφός, καὶ ἐθαύμασαν οἱ ὄχλοι, λέγοντες, ὅτι ἀδέποτε ἐφάνη ἕως ἐν τῷ Ἰσραὴλ. | 33. Et ejecto demonio, locutus est mutus, & admiratae sunt turbae, dicentes: Nunquam apparuit sic in Israhel. |
| 34. οἱ δὲ φαρισαῖοι ἐλεγον, ὅτι τῷ ἀρχοντὶ τῶν δαίμονων ἐβάλλει τὰ δαίμονα. | 34. At Pharisei dicebant, per principem demoniorum eicit demonia. |

Periocha hujus Historia.

Tota haec historia nihil fere novi habet, quod non superius cap. 59. quoque sit explicatum. Ideoque breviores in ejus expositione esse volumus: si quidem pleraque, quæ ad uberiores explicationem faciunt, inde defumi possunt. Evangelista hanc historiam præcedenti individuo nexu conjungens, utitur particula ἰδὲ, *ECCE*. Qua auditorum & lectorum non tantum ad attentionem excitat, innuens, ut quemadmodum alias in operibus Christi nihil vile est, nihil abjectum, sed omnia augusta & stupenda: sic etiam hic se adducturum historiam, quæ hominis rationem superet. Verum etiam simul bonitatem hujus Domini considerandam proponit: nimirum in domo Christi gratiæ fores semel patefactas semper patere omnibus, qui illam expetant. Integram diem insumerat docendo, curando, & tempus erat, ut vel tandem multo labore fessus quietem quaereret. Sed ecce vix prioribus digressis, alii assunt, qui novum negotium ipsi faciunt. Et hos ipsos non minore humanitate admittit, voti que sui compotes facit, quam priores: licet illi sese immorigeros erga præceptum ipsius exhibuissent.

Apparet autem ex hac historia, ut ex aliis quam plurimis, quæ in Evangelii leguntur, tum temporis, cum filius Dei in carnem venisset, quam plurimos passim obsessos oberrasse in populo Dei, in Judæa, in Galilæa, Gadarenorum regione & alibi. Cujus rei alia causa dari non potest, quam Satanam intellexisse, appropinquare tempus illud, quo filius Dei veniens opera ipsius dissoluturus, 1. Joh. 3. v. 8. & semen mulieris ipsi caput contritum esset. Gen. 3. v. 15. Undiquaque itaque atrium suum obfirmare voluit, ut se adversus ipsum

defensaret, atque sic iram suam adversus genus humanum virulentius effunderet. Sicuti Johannes in sua Apocalypsi c. 12. v. 12. de novissimis temporibus idem testatur, inquiens: *væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Non inutile autem est, expendere causas, ob quas DEUS dæmonibus & olim permittit, & adhuc hodie interdum permittit, ut homines non tantum obsideant, sed & graviter vexent. Siquidem certum est, absque Dei permissione nihil ejusmodi accidere posse. Variæ autem à Theologis adduntur rationes.*

1. Cyprianus adversus Demetrianum, & Lactantius Firmianus contra gentes, sentiunt, hoc ipsum facere ad fidei nostræ confirmationem. Nam multi inveniuntur, qui cum Saducæis & Epicuræis, Angelos & dæmones esse aut non credunt, aut certe languide credunt. Quando vero tales vident interdum etiam rudissimos homines à dæmonibus obsessos, Græce & Latine satis diserte & expedite loqui, adhæc in publicum proferre, quæ aliis abdita sunt & incognita: tum certe, inde re ipsa vident & colligunt, adesse potestatem aliquam humana majorem. Rursus, quando iidem non tantum ex Evangelio cognoscunt, Christum dæmones clamantes, ejulantes & reluctantes vel verbulo coegisse, ut corpora, quæ obsederant, relinquerent: sed interdum etiam propria experientia addiscunt & vident, ad solam nominis Christi invocationem, dæmonum potentiam cedere, & vel invitam, stationem, quam occupaverat Satanus, derelinquere: tum inde aperte cognoscunt, vera esse, quæ de divina virtute & potentia Domini

mini nostri JESU CHRISTI fides nostra docet.

2. Chrysoſtomus ſcripſit tres libros de Providentia ad Stagirium monachum arreptitium, qui à Dæmone ſub imagine porci acerrime cruciabat, nec ullis ſanctorum precibus abigi poterat. In illis libris inter alias etiam hanc rationem assignat: Dominum interdum permittere, ut etiam patientiſſimi à Satana occupentur, ad exercendam patientiam, & cumulanda cœlestis gloriæ præmia. Sæpe enim fit, ut aliqui multis & variis incommodis affecti Deum quarant, quem integri & illaſi nunquam quæſiſſent. Cum enim natura jam adeo ſimul depravati, ut ad mala cœco impetu præcipientes rapiamur; ad bona autem vix ullis machinis nos pertrahi patiamur: magno Dei beneficio fit, ut is calamitatibus immiſſis, veluti ſtimulis quibusdam nos ad ſe revocet. Unde certum eſt, sæpenumero majus beneficium eſſe tribulationes immiſſiſſe, quam ab iis liberaſſe. Siquidem hoc tantum ad corporis incolumitatem pertinet, illud ad animæ ſalutem ſpectat: quæ ad verſitatibus impuſſa oculos clauſos aperit, Domini ſui, cujus pene oblita fuerat, recordatur, illius opem ardentibus votis implorat, in eo ſolo ſperare, ipſi uni fidere, atque ſic cuncta mundi præſidia, quæ contra Satanam nihil opis conferre poſſent, contemnere diſcit. Sic ex magna Dei benignitate fit, ut quemadmodum Diabolus in hoc mundo per ſe eſt author malorum noſtrorum: ita per accidens miniſtrat materiam coronarum & (ut vocant) aureolarum in altera vita nobis imponendarum.

3. Aliqui etiam hanc cauſam adducunt, quod Deus hac permiſſione incredulo mundo ſpeculum objicere voluerit, ex quo aliquo modo conjiceret, quales olim futuri ſint cruciatus in inferno, ubi damnati à Diabolis, tanquam à Dei carnificibus in æternum cruciabuntur. Si enim in hac vita, ubi diabolo præfixa eſt certa meta, ut ex Jobo cap. 2. v. 6. patet, obſeſſi miſere ab ipſo cruciantur, Matth. 15. v. 22. ut quando hominem apprehendit, eum allidat, ut ſpumet dentibus, ſtrideat & areſcat, eum in ignem & aquam conjiciat & perdat, ita denique diſcerpat, ut mortuo ſimilis reddatur, ſicuti hiſtoria Marc. 9. v. 18. 22. & 26. docet: quid futurum putabimus in gehenna, quando impii plene in ipſius poteſtatem traditi fuerint? Quod horrendum ſpectaculum cunctos permovere debet, ut & fidem & vitam ſuam ita inſtituant, ne in truculentiffimorum iſtorum tormentorum manus incidant. Certe dives epulo Luc. 16. v. 27. in ea eſt opinione, ſi Lazarus ad ſuos fratres mitteretur: qui tanquam oculatus teſtis apertiſſima narratione ipſis acerbitate dolorum & pœnarum declararet, futurum, ut vitam ſuam emendarent. Sed non opus eſt, ut vel inferi mortui ad nos aſcendant, vel nos viventes ad illos descendamus, ut intuitu pœnarum illarum à peccando abſtineamus. Satis eſt inſpicere labores & cruciatus obſeſſorum: imo tantum acerbos dolores podagræ, calculi, iliacæ paſſionis, pleuritidis & ſimilium morborum conſiderare. Hi certe nos permovere debebant, ut ſolicite vitemus illa, quæ hominem deducunt in illum locum tormentorum.

4. Præcipua & fere communis cauſa, cur Deus permittat homines à dæmonibus obſideri, aſſignatur hæc: quod Deus hac ratione oſtendere

velit, quid diabolus ſpiritualiter operetur in anima per peccatum obſeſſa. Quemadmodum enim Satanas, quando corpus obſidet, alium quidem cœcum, alium ſurdum, alium mutum, alium omnis pene ſenſus expertem reddit: ita in quorum animabus jure peccati dominatur, eosdem ad omnia divina ſpiritualiter cœcos, mutos, ſurdos & omnis ſpiritualis ſenſus expertes efficit. Et ſicut divinus ſpiritus miniſterio verbi per ſuam gratiam, homines pios ita à mundo hoc inferiore abſtrahere conatur, ut ad omnes terrenas curas cœci, ſurdi & muti, tantum ad cœleſtia aſpirent: ita contra infernalis ſpiritus, ſua mancipia, quorum animas ſpiritualiter obſedit, ad omnia cœleſtia, cœcos, mutos, & ſurdos efficit, ut ſine omni conſcientiæ mordentis ſtimulo ſe totos turpiſſimis cupiditatibus dedant, ſicque in æternum pereant. Ita diabolus in hac hiſtoria hunc miſerum hominem κωφόν reddidit. Indicavimus autem ſupra cap. 5. v. κωφῶ nomine Græce & ſurdos exprimi. Unde colligere liceret, hunc hominem & auditus & loqueſcæ beneficio per dæmonem privatum fuiſſe. Quia tamen mox additur: ἐφείθε δαμονίου λόγους ἐστὶν μῦθος, ideo tantum de ἀλαλία, & impotentia ſermonis accipiemus. Et Evangelica hiſtoria paſſim teſtatur, nequiſſimum illum ſpiritum quamplurimos mutos effeciſſe. Unde ingenium ipſius agnoſcere diſcamus, quomodo is potiſſimum linguis noſtris inſidietur, ut ipſe illas in ſuam poteſtatem redigat. Videt nimirum, ſermonis beneficium, quod homo articulatam vocem emittere poteſt, inter dona Dei facile eſſe primum. Nam data ſunt hominibus linguæ, ut Deum invocent, laudes ipſius decantent, & prædicent virtutes ejus, qui ipſos è tenebris ignorantia evocavit in admirabilem ſuam lucem. 1. Petr. 2. v. 9. Hoc ſacrificium eſt Deo omnium gratiſſimum; ut teſtatur Pl. 69. v. 32. & Hof. 14. v. 3. Data item ſunt linguæ, ut proximi commoditatibus inſerviamus ad ædificationem, ipſum inſtituamus, conſolemur, conſilio juvemus, atque alii aliis animi ſenſus indicemus. Chriſtiani itaque cum Davide in Pſalmo 39. v. 1. provide ſuarum linguarum curam habere debent, ut loquantur quæ vera ſunt, quæ juſta, quæ honeſta, quæ pudica, quæ amabilia, quæ cunque bonæ famæ & laudabilia, Phil. 4. v. 8. Sit ſermo ipſorum in gratia ſale conditus, Col. 4. v. 6. adeoque omnia verba quaſi in ſtatera & bilance ponderent, Syr. 28. v. 29. Cum reddituri ſint rationem Deo de quovis otioſo verbo, Matth. 12. v. 36. Nam, ut ex hujusmodi Hiſtoriis patet, Satanas linguis noſtris inſidiatur, eas invadit, multis uſum ſermonis eripit, ut ſi bona illa impediatur, & una eademque opera, tam Dei gloriæ, quam noſtræ ſaluti officiat. Et ut mille eſt artifex: ita homini non uno modo inſidias ſtruit. Quemadmodum aliquos in ſpiritualibus rotos reddit mutos & elingues: ita viciffim alios in blaſphemiis, convitiis, execrationibus, turpiloquiis & obſcœnitatibus nimium facit loquaces, ut ſatius foret ipſos mutos eſſe, quam adeo promptam & paratam linguam gerere, ad ſerendas rixas, ad turbandam publicam tranquillitatem. Quid enim mali ejuſmodi lingua efficiat, illud David in Pſal. 52. & 120. Item Syr. cap. 28. & Jacobus cap. 3. v. 2. proluxe oſtendunt. Tales omnes adducendi ſunt ad Chriſtum, ut ab ipſo ſanentur.

nentur. Hoc fit, si pueri ab ineunte ætate à parentibus & præceptoribus assuescant, ut à teneris linguam suam frænent, nec temere eam vagari patiantur. Postea, si adultiore diligenter inter sint cœtibus sacris, audiant Dei verbum, publicis cum Christianis præcibus utantur. Si qui sint intractabiliores, qui hisce medijs ad sanam linguæ usum non possunt adduci, eos magistratus severiori disciplina coerceat. Nam equis & mulis, quibus non est intellectus, & qui non volunt approximare Domino, maxillæ sunt chamo & fræno constringendæ, Psalm. 32.

Quod vero Evangelista hic dicit: *Et locutus est mutus, illud aliqui examinant, an non αὐτὸς ὁ θεὸς videatur, dicere, cœcum videre aut mutum loqui, & sordidum audire? Verum Evangelistæ data opera sic loqui videntur, ut sic commendent Dei gratiam refractione memoriæ ejus, quales olim fuerimus. Sic Luc. 7. v. 37. mulier dicitur peccatrix, cui dudum omnia peccata remissa erant, Matth. 10. v. 3. Matthæus dicitur publicanus, qui jam in numerum Apostolorum coopertus erat. Matth. 26. v. 6. Simon dicitur leprosus, qui à Christo dudum mundatus erat. Ita Paulum non puduit aliquoties, 1. Cor. 15. v. 9. 1. Tim. 1. v. 13. Act. 26. v. 10. confiteri, qualis fuerit ante conversionem, ut beneficium Christi tanto magis illustraret. Ita 1. Cor. 6. v. 9. Corinthiis prolixè ob oculos ponit, quales fuerint: addit autem, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Utamur hisce ad nostri consolationem, ut si Satanas nobis intra conscientiam objiciat, quales olim fuerimus, nos ipsi in faciem resistamus, confitentes nostram lepram, sordiditatem, cœcitatem & peccata, sed prædicantes Christi gratiam, cujus virtute jam alii sumus, quam olim fuerimus.*

Secunda pars hujus historiæ agit de effectu hujus miraculi apud alios homines. Et hic diversa audimus judicia, Populus miratur, & nunquam sic in Israele apparuisse fatetur, Pharisei autem ad suum veterem coccysum revertuntur, eumque demonia per demoniorum principem ejicere calumniantur. Quemadmodum enim syderum influxus pro diversitate materiæ diversos etiam effectus in hoc mundo inferiore producant: (dum alia molliunt, alia durant: alia generant, alia corrumpunt) ita etiam divinæ gratiæ auxilia, quæ Deus omnibus quidem ex æquo offert, homines variè, pro variis ipsorum ingenijs afficiunt. Hinc fit, ut ipsum Evangelium Christi hominibus prædicatum, quod omnibus credentibus est virtus Dei ad salutem, Rom. 1. v. 16. incredulis fiat odor mortis ad mortem, 2. Cor. 2. v. 15. Nimirum homines vitis assueti, sanctissimorum Dei servorum clamores, promissa, terrores, quibus ipsos ad pœnitentiam revocare conantur, secure contemnunt, atque propterea tanto graviores DEO reddituri sunt rationem. Pari ratione salutiferum corpus Christi, quod in sacra Domini Cœna sub panem manducatum, pijs & credentibus est cibus vitæ, Joh. 6. v. 55. in indignis tamen & incredulis potenter judicium operatur, 1. Cor. 11. v. 29. Ita videmus divina frequenter beneficia, quibus ad salutem homines uti debebant, depravatis mentibus &

ad peccandum diu assuetis adeo non prodesse, ut interdum etiam majoris ruinæ occasio fiant. Omnia Christi miracula fuere efficacissima argumenta, ad faciendam fidem personæ suæ & doctrinæ. Et tamen Pharisei, qui habebant animos malis affectibus, ambitione, invidia, avaritia, odio, livore, imbutos, adhæc potius sui honoris & commodi, quam divinæ gloriæ & publicæ salutis studiosos, in agnitione personæ Christi, & susceptione ipsius doctrinæ adeo nihil profecerunt, ut hinc majorem occasionem ipsum opprimendi & occidendi arripuerint. Quotquot ergo seriatim salutis suæ cura ducuntur, instantè Deum orent, ne ipsos in hanc cordis cœcitatem & pravitatem incidere patiantur. Alias periculum est, ne salutaria vitæ æternæ medicamenta, ipsis in noxia interitus venena vertantur. Solicite simul caveamus, ne Dei opera & verba ad affectus nostros accommodemus: sed potius affectus nostros ad Dei verbum corrigamus. Alias fit, ut quemadmodum quicquid coloratis perspicillis utuntur, omnia, quæcunque vident, ejusdem coloris esse putent, & quorum gustus acido sapore corruptus est, ut ipsis omnia acelescant: ita hi veritatis verbum ad suum sensum regulantes, nihil quicquam dextre judicent & pronuncient.

Porro, quomodo diabolica hæc Phariseorum calumnia graviter refutari debeat & possit, supra cap. 59. copiosè est pertractatum. Interim quod vulgus dicit: *nunquam apparuit tale quippiam in Israele*, ita est accipiendum, quod quidem non negant, signa magna & stupenda miracula etiam à Mose, Elia, Elisæo, & alijs Prophetis esse edita. Sed si vel multitudinem, vel facilitatem edendi miracula intuearis, nunquam similia facta sunt. Prophetæ in edendis miraculis multa eaque satis longa habuerunt intervalla: Christus integrum diem edendis miraculis consumit. Prophetæ interdum præmiserunt expiationes, varijs usi sunt medijs & instrumentis, ut miraculum aliquod perficerent. Christus tanta facilitate edit, ut nec baculum agris imponat, nec veste eos contegat, sed nudo & solo verbo omnia efficiat. Agnoscunt ergo hæc esse signa Messie propria, quæ ipsum facturum Esaias prædixerat, cap. 35. v. 5. Atque sic huic populo Θεωμυδάσειν fuit δεξιη, non quidem, ut Socrates dicere solebat, φιλοσοφίας sed σωτηρίας. Ex hac enim admiratione deducti sunt paulatim ad pleniorum cognitionem & personæ & doctrinæ Christi, ex quibus oritur salus & vita æterna. Simul etiam videmus, non raro simplices homines rectius de dictis & factis Christi judicare, quam qui æterna sanctitatis & pietatis larva commendari videntur. Nam perficit Deus sibi laudem ex ore infantium & lactentium, Psalm. 8. v. 3. & diligit ferme quæ stulta, inîrma; ignobilia & contemptibilia sunt mundi, ut destruat, quæ magna videntur coram mundo, sicque, quicunque gloriatur, non nisi in Domino gloriatur, 1. Cor. 1.

verf. 27.

* * * * *

Stt 2

CAPUT

CAPUT LXX.

CONTINENS HISTORIAM QUOMODO JESUS SECUNDA VICE VENERIT IN PATRIAM NAZARETHAM.

Matth. 13. v. 54. & Marc. 6. v. 1.

RATIO ORDINIS.

Matthæus à descriptione præcedentium historiarum mox accedit ad narrandum, quomodo Dominus circumivit in civitatibus & vicis docens, posteaquæ mittens Apostolos cum mandatis. Et consentit Lucas, qui post resuscitatam filiam Jairi, mox ipse quoque cap. 9. v. 1. recenset, quomodo Dominus Apostolos convocatos emisit. Nec refragatur Marcus, qui ipse quoque, non multo post historiam Jairi, ista de emissionem Apostolorum describit, ut dubitari non possit, quin Dominus mox post resuscitatam filiulam Archisynagogi circumverit, docens & emittens Apostolos: quod est initium tertii anni Ministerii Christi, uti cap. 4. Prolegomenon demonstratum est. Sed dispiciendum est, an extet aliquid in Evangelistis, quod ante istam peregrinationem, & emissionem Apostolorum sit inferendum. Et quidem apud Matthæum nihil extat, præter superiores illas historias, quam jam tractavimus. Apud Lucam item nihil. Restat ergo Marcus, qui cap. 6. v. 1. Præmittit historiam, quomodo Dominus venerit in patriam Nazaretham, & ordinem consecutionis manifesta notatione temporis ostendit, indicans, eum Domini adventum in patriam accidisse, cum Dominus resuscitasset filiam Archisynagogi. Sic tamen ordinem istum notat, ut facile appareat, eum voluisse subinnuere, intermedio tempore evenisse ea, quæ de duobus cæcis & dæmoniaco narravit Matthæus, cap. 9. quæ inferi ante adventum

istum Domini possint. Ait enim *Dominum inde* (nimirum Capernaumo, ubi Archisynagogi filiam resuscitavit, cæcos item & dæmoniacum mutum sanavit) *egressum venisse in patriam.* Matthæus ipse quoque cap. 13. v. 54. hunc adventum Domini in patriam describit, sed sic, ut ex ipso non possit intelligi, quo tempore acciderit. Narrat enim, eum demum post complura, de quibus in superioribus capitibus diximus, & narrat sine certa notatione ordinis. Neque tamen Marco contradicit, ubi ait Dominum abiisse & venisse in patriam, cum finiisset illas varias parabolas, quas descripsit cap. 13. Consentit enim Marcus post istas parabolas accidisse quidem adventum illum Domini in patriam, sed interjectis hisce omnibus, transfretatione in terram Genezareth, expulsionem dæmonum in porcos, & resuscitationem filiulæ Jairi, quæ Matthæus ipse quoque supra multo ante per anticipationem commemoraverat. Itaque cap. 13. post descriptas illas parabolas, proxime ante narrationem de adventu illo Domini in patriam, prætermisit. Ut jam dubitari non possit, quin istæ sit verus *ειρμός ἀκολουθείας*, & quod hic Matthæus nativum ordinem historiarum non servavit. Lucas de hoc creditu Christi in patriam nihil habet. Quod enim cap. 4. v. 16. describit, idque Augustinus & alii putarunt esse idem cum eo, quod recitat Matthæus cap. 13. ostensum est cap. 34. Harmonia, illam non esse unam & eandem historiam.

HISTORIA REDITUS CHRISTI NAZARETHAM.

MATTH. 13.

- 54. καὶ ἐλθὼν εἰς τὴν πατριδα αὐτοῦ, ἐδίδασκεν αὐτοὺς ἐν τῇ συναγωγῇ αὐτῶν, ὥστε ἐκπλήθεισθαι αὐτοὺς, καὶ λέγει, πῶς γενέτω ἡ σοφία αὐτοῦ καὶ αἱ δυνάμεις;
- 55. καὶ ἐπεὶ ἔβλεπεν ὁ Ἰησοῦς τὸν υἱὸν καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ λέγουσαν Μαριαμ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ Ἰακώβος καὶ Ἰωσήφ καὶ Σίμων καὶ Ἰούδας;
- 56. καὶ αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ καὶ πάντες οἱ παῖδες αὐτοῦ ἦσαν; πῶς οὖν ἐγένετο ταῦτα πάντα;
- 57. καὶ ἐκαταδάλιζοντο ἐν αὐτῷ. ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, ἕκ ἐστὶν προφήτης ἔλεγεν, εἰ μὴ ἐν τῇ πατριδί αὐτοῦ καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ.
- 58. καὶ οὐκ ἐπίσησεν ἐκεῖ δυνάμεις πολλὰς, διὰ τὴν ἀπίστιαν αὐτῶν.

- 54. Et cum venisset in Patriam suam, docuit eos in synagoga illorum, ita ut stuperent, ac dicerent, Unde huic sapientia hæc & virtutes?
- 55. Nonne hic est ille fabri filius? Nonne mater ejus vocatur Maria, & fratres ejus Jacobus & Joseph, & Simon & Judas?
- 56. Et sorores illius nonne omnes apud nos sunt? Unde igitur huic hæc omnia?
- 57. Et offendebantur super eo. Jesus autem dixit illis. Non est propheta expertus honoris nisi in patria sua & domo sua.
- 58. Et non edidit illic virtutes multas propter incredulitatem illorum.

MARC. 6.